

y ¿qué necesidad mayor que la de salvar la vida? (Less., Bonac., Laym., Busemb., ap. S. A., II, 76 y v. 2, 2, q. 150, a. 5).

6.^a Quoad castitatem relate ad vitam virgo *tenetur* ad mortem vitandam, sinere ut ab alia foemina curetur; *potest*, sed non *tenetur*, subire manus medici vel chirurgi, etiamsi operationem respuendo vita periclitetur, quando ei illud gravissimum foret; *potest*, ad se liberandum ab invasore castitatis, se conjicere in certum periculum vitae (non mortem certam, etiamsi adsit proximus consensus periculum), quia etiam sola corporis integritas maximi existimatur; *potest* permittere se occidi potiusquam violari, quia integritas praevallet vitae; sed non *tenetur*, absolute loquendo, modo voluntate positive resistat et proximum absit consensus periculum, quia illa permissio est tantum materialis non formalis, et ideo ob periculum mortis satis excusatur, licet in praxi suadendum sit quod potius sinat se occidi quam violari (S. A., 367-68, 372; Gur., I, 390-91); *non potest*, juxta omnes, occidere invasorem, si repellere valeat verberibus, calcibus vel aliter, sed si hoc non sufficiat, certum est in praxi eum occidere posse (non *tenetur* tamen, sed tantum passive se habere, quia castitas passive non amittitur), quia utitur jure suo fortiori ratione, quam defendendo vitam temporalem, et alias *tenetur*, ait D. Antoninus, magis saluti suae providere quam alienae; demum *non solum potest* aggressorem propulsare actu quo eum patitur, sed etiam immediate post, eum non occidendo, sed percutiendo alapis, pugnis et etiam ictibus non periculosis, quia nisi tali modo suam displicentiam et constantiam ostendat, non facile ille discedet; quod non solum permittendum, sed (modo fiat immediate post et non ad vindictam) et consulendum (S. Antonin., p. 2, tit. 7, c. 8 et p. 3, tit. 4, c. 3; S. A., IV, 386; Scav., II, 658).

7.^a El matador está obligado á restituir á los herederos aunque él sea condenado á muerte, porque con la muerte satisface solamente á la justicia pública; aunque haya sido agredido, si ha traspasado el límite de la justa defensa (S. A., IV, 637; Croix, Lugo); pero no está obligado á resar-

cir los gastos del entierro y otros semejantes, porque algún día se habrían tenido que hacer; ni cuando haya provocado al otro á batirse en desafío, porque dejó de haber injusticia desde el punto que el otro aceptó; ni á aquellos á quienes el muerto mantenía por pura caridad, porque no ha lesionado un verdadero derecho, á no ser que les hubiese querido dañar directamente.

§ XXVII. DIRECCIÓN REFERENTE AL PECADO DE LUJURIA

143. Principios. — I. Luxuria est vitium quo voluntas *ordinem et modum rationis excedit circa venerea* (2, 2, q. 153, a. 3). Ordo et modus rationis in eo est, quod venerea ad coitum, coitus ad matrimonium, matrimonium ad sobolem gignendam et educandam ordinentur, et per consequens si quid circa hoc fiat, praeter ordinem vel modum rationis, vitiosum est. *Venerea* accipimus omnem delectationem ex se tendentem ad ea quae spectant ad generationem. Luxuria duplex distinguitur. *Perfecta* seu consummata est voluntaria humani seminis effusio praeter debitum ordinem vel modum; et dividitur in *naturalem* quando servatur quidem modus naturalis (*species, sexus et vasis*), quem natura requirit ad humanam generationem, sed contra ordinem debitum, nempe extra legitimum matrimonium, et dicitur fornicatio; et in *innaturalem*, quando effusio fit non solum contra ordinem, verum etiam praeter modum a natura requisitum, ita ut generatio sequi non possit, et dicitur pollutio. *Imperfecta* seu non consummata est inordinatio circa venerea, citra seminis effusionem; et est vel *objectiva*, quatenus est intrinsece mala, et objectivam inordinationem continet, prouti est delectatio morosa de venereis; vel *subjectiva*, quatenus ejus objectum non est quidem in se malum, sed tamen ab agente seu subjecto ponitur directe vel indirecte ad delectationem veneream plus minusve capiendam; prouti sunt actus quidam externi, quos impudicos vocant, quia magis contra pudicitiam quam contra castitatem directe pugnant, et quos *signa venereorum* vocat Angelicus (2, 2, q. 151, a. 4. v. Sanch., de matr. 1X, 46, n. 2).

II. Luxuria perfecta tum naturalis tum innaturalis, et luxuria imperfecta objectiva est peccatum mortale ex genere suo toto, ita ut quolibet vel minimo ejus actu tota insit malitia peccati, tum quia ordinem et modum violat in re quae maxime spectat ad bonum humani generis, scilicet ejus conservationem (2, 2, q. 53, a. 6, et q. 153, a. 3 et 5); tum quia maxime obnubilat lumen rationis, et proinde laeditur dignitas humana, tum quia ad gravissima quaeque crimina voluntatem impellit, maxime ad fidei jacturam et Dei odium.

III. Luxuria imperfecta subjectiva est peccatum mortale ex genere suo non toto, ita ut et dari possit parvitas materiae in hujusmodi actibus, et fieri etiam possit quod omnem malitiam deponant in collisione jurium. Proinde excutienda est a confessario horum actuum malitia, prout in agente se prodit, et hisce regulis pensanda. *Prima*, si adfuit aliqua justa causa actum per se impudicum ponendi, potest hic actus suam malitiam in casu deponere. *Secunda*, si non adfuit justa causa actum ponendi, actus fuit certe contra castitatem; at in eo casu vel ejus probabilis efficacia (in pollutionem) fuit satis tenuis seu parva, et peccatum judicandum est leve, vel fuit magna in genere luxuriae et peccatum dicendum est grave; quod prudentum judicio statuendum erit (v. S. A., IV, 483-84, v. *quarta sent.*).

IV. Luxuria quaevis *directe* voluntaria est semper peccatum mortale, quia necessario subvertit modum et ordinem a Deo praestitutum circa venerea; luxuria vero *indirecte* voluntaria est leviter vel graviter peccaminosa, prout ex causa leviter vel graviter influente procedit, ex *Principio III*.

V. In materia luxuriae oportet, quantum possibile est omnem adhibere severitatem, ait S. A., cum in re tam labili nulla cautela satis; et proinde plures opiniones, quae speculative loquendo ut probabiles habentur, sunt practice improbabiles et ad praxim tuto deduci nequeunt, quia in proximum periculum reapse inducerent (S. A., I, 84., VI, 605, H. A., IX, 34, v. supra *Cann. XXIV, XXV e XXX*). Unde recte concludit Frassin., *T. M.*, not. 62 confessarios hac in

materia indulgentes magnam animabus afferre perniciem, ita ut toties quoties rigor potest adhiberi sit adhibendus.

144. Duda. — Utrum detur ignorantia invincibilis circa peccata luxuriae? Respondetur *quod* confessarius in hac re non sit nimis facilis, imo forte e contra, in bona fide supponenda; et proinde ante omnia scrutetur poenitentis naturale ingenium seu indolem ejusque instructionem, videatque peccati naturam, nec non attendat praecipue ad ipsius poenitentis verba repetita et expressiones adhibitae; *quod* consequenter, qui peccata sua pluries confessus peccata luxuriae tacuisset, dicendo se ex ignorantia peccati hoc fecisse, non est statim in bona fide vere supponendus, et proinde, generaliter loquendo, ad iterandas confessiones monendus seu verius inducendus; videbis enim, si eum prudenter interrogas, homines ac lucem semper defugisse ad crimen perpetrandum; *quod*, his non obstantibus, videtur non posse negari quod detur haec ignorantia invincibilis. Non semel quidem ego ipsemet reperi, in confessionibus excipiendis, quorum bona fides ex adjunctis compertissima erat, qui, exempli causa, pollutionem sibimet procurabant vel alia in conjugio illicita exercebant nihil admodum de peccato cogitantes, imo licitas actiones existimantes eadem ratione ac alia naturalia exercendo; nec unquam illis in casibus acquiescere potui aliquorum theologorum sententiae, qui ignorantiam invincibilem circa luxuriam omnino explodunt. Re quidem vera, nonne ipsi philosophi ethnici Plato, Socrates, Cato alique non satis cognoscebant per lumen rationis malitiam delectationis venereae, pollutionis, fornicationis, etc... ut ait Segneri (*Incred. senza scusa*, p. 2, c. 24, n. 1. *Quaresimale*, Pr. 20, n. 4; Scav., I, 969)? Imo vel ipsi theologi id ex ratione non satis eruerunt, cum Durandus docuerit fornicationem non semper esse graviter peccaminosam, Caramuelis idem de pollutione, et Sanchez opinatus sit aliquando dari parvitatem materiae in re venerea. Et hoc pariter existimasse D. Thomam, dari nempe ignorantiam circa luxuriae peccata, clare patet ex his verbis (*de malo*, q. 2, a. 8, ap.; Scav., I, 969): *Si ignoretur deformitas, puta, cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, sed*

non voluntarie facit peccatum. Unde S. A. (*La monja santa*, c. 18, § 1) ad rem scribit: *Hablando así, por ejemplo, de cierta ligereza ó de alguna burla inmodesta hecha durante la juventud, pero sin conocimiento de su malicia, no está obligado á confesarla. No es prueba bastante de su malicia el hecho de que se hiciese á escondidas, porque ciertos actos naturales, aun tratándose de niños, los hacen siempre á escondidas, aun cuando no sean pecado. Por lo que no debe opinarse que tales casos se han de confesar especialmente, sino cuando recordemos haberlos cometido con conciencia de culpa grave, ó al menos en la duda de que lo fuese.* Concludendum igitur est dari hanc ignorantiam non modo in pueris, quod, experientia teste, nemo non fatebitur, verum etiam in adultis hominibus, ut patet ex dictis et ex eadem experientia manifesta. Ex qua doctrina sua sponte fluit, confessarium non debere in praxi nimis anxium esse in interrogando pueros circa sextum, ut resciat circumstantias omnes vel numerum, quorum fortasse malitiam ignorabant vel etiam nunc ignorant; quod item dicendum de confessione adulterorum quoad peccata in pueritia admissa (v. *Can. XXXV*).

PUNTO 1.º — *De la lujuria consumada natural*

145. Principios. — I. Luxuria naturalis seu fornicatio, *primo*, latiori sensu est quaecumque illicita commixtio carnalis; strictiori est commixtio carnalis inter solutos, idest liberos a voto, matrimonio et religione, ex mutuo consensu; *secundo*, est intrinsece mala, quia natura ordinat copulam tantum ad matrimonium, quo non solum proles generari sed etiam bene educari possit, quod excluditur a fornicatione qua tali (2, 2, q. 154, a. 2); *tertio*, est vel casualis, una scilicet aut altera vice, et *fornicatio* simpliciter appellatur, vel continuata et appellatur *concubinatus*, vel venalis et est *meretricium*, seu status mulieris omnibus prostitutae; *quarto*, est semper ejusdem speciei, ita ut circumstantia concubinatus vel meretricii non sit per se de necessitate aperienda, licet per accidens saepius sit explicanda, puta, ad occasionem removendam.

II. Fornicatio violenta seu stuprum, *primo*, latiori sensu est violatio seu oppressio mulieris cujuslibet, ipsa invita, lato sensu est defloratio virginis, quoquomodo illicita, strictiori et canonico sensu est defloratio injusta virginis, ipsa invita (1); *secundo*, est speciale et grave peccatum, quia ex hoc quod virgo violatur, etsi seductione et metu tantum, impeditur per se a legitimo matrimonio et ponitur in via meretricandi, a quo retrahebatur ne amitteret signaculum virginitatis, et proinde injuste laeditur (2, 2, q. 154, a. 6); *tertio*, est circumstantia semper in confessione aperienda; *quarto*, est semper accipienda strictiori sensu cum agitur vel de reservatione casuum vel de poenis in stupratorem discernendis, nisi aliter expresse habeatur in lege; dum, cum agitur de peccato vel obligatione compensationis in foro conscientiae, sumitur in triplici sensu theologico, ut supra.

III. Ad recte judicandum de mutuis relationibus ratione stupri haec tenenda. *Primo*, foemina reputatur consentiens *vel* quando sponte sua copulae consensit, *vel* quando cessit precibus licet importunis, seu muneribus aut promissis, quia haec non tollunt quod vere sponte consentiat, cum facile possit eis resistere; dum invita reputatur *vel* quando vi superata fuit, *vel* compulsa metu gravi et injusto, cadente in constantem foeminam, aut metu reverentiali (ut si sollicitavit tutor, dominus, magister etc.), *vel* cognita dum erat dormiens, ebria aut amens, *vel* quando consensit postquam stuprator osculis, tactibus, amplexibus incepit ei vim inferre et in proximum labendi periculum traxit, *vel* denique quando consensit quia, cum vir nollet discedere, timuit infamari si cum illo ab aliis sola inveniretur (S. A., IV, 642, d. 2). *Secundo*, puella vi corrupta potest eligere vel quod ei damnum compenset, quia non esset equum ut ipsa ob injuriam stupratoris sua libertate privaretur nubendi quocum velit; et non potest cogere stupratorem ad se ducendam, nisi ille dotem praestare nequeat; aut nisi interfuerit promissio ma-

(1) Virginitas sumitur vel *phisice* pro integritate carnis, quae tota in hymenea pellicula sita est, quaeque concubitu dilaceratur, vel *moraliter*, quae consistit in proposito perpetuo se abstinendi ab omni voluntaria venerea delectatione ad illam integritatem conservandam (S. Th. 2, 2, q. 152, a. 3). Hic virginitas sumitur physice, ut patet.

trimonii saltem ficta (S. A., IV, 648; D'Ann., II, 282). *Tertio*, virgo deflorata viro obligationem matrimonii promissi condonare valide potest, sicut et compensationem dotis, etiamsi ex condonatione infamia suae familiae obveniat, quia cedit juri suo, et dos ei soli debetur, cujus interest, nubere (S. A., IV, 644; D'Ann., l. c.). *Quarto*, stupro debetur satisfactio et restitutio; satisfactio propter injuriam, quae consistit in ipsa defloratione vel oppressione mulieris; restitutio propter damnum, proveniens ex revelatione stupri, unde fit quod mulier vel non possit nubere vel non aequè bene nubere; satisfactio, ut plurimum, consistit in reddendo honorem ablatum per aliquod honorationis signum, puta, veniae petitionem aut quid aliud; restitutio est quod vir mulierem ducat aut dotet, nempe, ut, si mulier aliunde dotem habeat, hanc eatenus augeat quatenus mulier aequè bene nubere possit, si nullam vero habeat, eam sufficientem constituat (*v. Lugo de just.*, d. 12, n. 10, 13); satisfactio semper urget sive occultum sive publicum sit stuprum, quia ex ipsa violatione exurgit; restitutio ita ex revelatione stupri oritur, ut cesset vel quamdiu latet violatio, vel quando puella ideo a meliori connubio impeditur, quia ipsamet stuprum manifestavit (S. A., IV, 646).

IV. De stupratore haec habeto. *Primo*, si virgo libere consensit nec interfuit aliqua promissio matrimonii, ad nihil tenetur per se nec erga ipsam puellam nec erga ejus parentes (excepto forsan aliquo signo honorationis, puta, veniam petendo patri) ad dotem augendam, quia si puella injuriam strictam non fecit parentibus nec deflorator. Dixi *per se*, tum quia, si provenit proles, nec ipsa foemina violata potest cedere jus quod habet ut ducatur, sin ex justitia, saltem ex debito stricto charitatis erga prolem (Croix, II, 2, 318), tum quia, si matrimonium fieri non possit, stuprator tenetur ad omnes *ventris expensas*, ut ajunt, idest, ad proles alimoniam quamdiu opus erit; ad quod, in ejus defectu, tenetur ipsa mulier. *Secundo*, si virginem injuste violavit, absque tamen promissione matrimonii, *vel* hoc fecit viminis, fraudibus, metu reverentiali aut cadente in constantem foeminam, et tenetur tam ipsi quam parentibus omnia

damna reparare honoris et fortunae, non tamen eam ducere nisi post sententiam judicis; *vel* fecit precibus repetitis et importunis, aut muneribus et promissis et ne tenetur quidem dotare, nedum ducere, quia sponte consensit, cum potuerit facile illam molestiam excutere (S. A., IV, 641; Scav., II, 661 62). *Tertio*, si injuste violavit per veram aut fictam matrimonii promissionem, tenetur saltem dotare aut damnum aliter resarcire, si ducere non possit; at si possit tenetur omnino *per se* eam ducere, tum quia alias damnum non repararetur adaequate, tum quia, cum sit contractus innominatus, tenetur ex justitia suam partem explere cum puella suam expleverit (1); et tanta est haec obligatio quod, *si est consanguinea*, tenetur (verius in praxi) dispensationem petere, quando impedimentum est ex dispensabilibus a Papa, sive promissio impetrandi dispensationem fuerit expressa sive implicita, quia semper subintelligitur (S. A., IV, 650, *per tot.*); *vel si ipse habet votum* castitatis vel religionis emissum etiam ante promissionem, tenetur dispensationem petere, tum ex ipsa fraude et in illius poenam, tum quia debita onerosa semper praefertur illis quae obligant ex libera hominis voluntate, prout sunt vota (S. A., IV, 645; Croix, III, 2, 320); *vel si ipse notabiliter antecellit divitiis*, tenetur eam ducere, quia perditio virginitatis aut bonae famae cum sit praetio inaestimabilis, saltem aequivalet excessui divitiarum; quod valet etiamsi foemina tantum se exposuerit periculo famam amittendi (S. A., IV, 851). Dixi *supra per se*, quia per accidens excusatur a servanda matrimonii promissione in sequentibus casibus; si aliam duxerit et ideo sufficit de nuptiis ei providere (*Suppl.*, q. 46, a. 2, ad 4); si foemina ex verbis aut aliis conjecturis facile potuerit advertere deceptionem, cum tunc videatur voluisse decipi, ut dicendum quoad juvenes lascivos et leves, quibus prudenter credere non potest foemina; in quo casu violator ne tenetur quidem ad damnum compensandum (2); si existimans virgi-

(1) S. Th., *Suppl.*, q. 35, a. 2; S. A., IV, 642; S. C. *Concil.* ita pluries declaravit, praesertim 29 Nov. 1862 et 26 Jul. 1867, ap *Acta S. S.*, v. I, p. 341 e III, p. 304.

(2) S. A., IV, 643; S. Antonin., p. 3, t. 1, c. 10; D'Ann., III, 384. Recte

nem corruptam invenerit, et multo magis si ipsa deceperit fingens se virginem, quia deceptio deceptione compensatur; in quo casu nec tenetur ad aliquid compensandum, nisi (nota) pactum praecessisset aliquid dandi, vel nisi ex copula infamiam contraxisset (S. A., IV, 646); si notabiliter excedat in nobilitate conditionem mulieris (etiamsi juramento promissionem firmaverit), quia ipsa disparitas de se prudens dubium ingerit de veritate promissionis, quando (nota) mulier disparitatem cognoverit, quia si hanc ignoraverit, non tenetur quidem ducere, sed utique damnum reparare (S. A., IV, 643); si timeatur ex matrimonio pessimus exitus, ut si puella noscatur nimis levis, vel scandala aut rixae inter consanguineos, vel dedecus familiae quia tunc sufficit eam dotare (S. A., IV, 644, VI, 849); si violavit consanguineam, non advertens inculpabiliter ad impedimentum, quia, stante hac inculpabili ignorantia, ad hoc praecise non se obligavit; et proinde, quando dispensatio non possit absque magna difficultate aut sumptu obtineri, sufficit damnum compensare, sed si non potest, tenetur omnino ducere (S. A., VI, 650); si foemina jam convenienter nupserit, quo casu violator ad nihil tenetur, nisi ex pactione aut sententia iudicis aliquid sit dandum; si puella, quae deflorationi consensit, renuat cum stupratore contrahere, qui tunc ad nihil tenetur nisi in casu quo non puella, sed ejus parentes matrimonium recusent (S. A., IV, 647; Del Vecch., II, 330); si habeat sponsalia antecedenter cum alia, etiamsi secunda, quam violavit cum promissione licet jurata matrimonii, dicta sponsalia ignoraverit, quia promissio secunda semper est nulla prout illicita, nec injuria allata secundae jus adimit primae (S. A., 848; Croix, VI, 3, 73); si solos tactus habuerit cum virgine, quia tactus non afferunt tantam injuriam, quae proportionem habeat cum onere ducendi, et ideo mulier facile potuit fictionem advertere. Recte tamen dicunt teneri ad ducendam propter solos tactus, *quando ipsi tactus innotescant*, ita ut, nisi ducatur, infamiam subire debeat, et *quando* mulier

tamen excipiunt, quod, si vir animadvertit virginem pro sua simplicitate vere decipi, quia prudentiae absolute incapax est, reus erit stupri.

honestata ex illis tactibus multum deturpata fuerit (S. A., IV, 465; Croix, III, 2, 329).

V. Raptus (qui ad fornicationem violentam reducitur), *est abductio violenta* alicujus personae, sive masculi sive foeminae, sive nuptae sive innuptae, libidinis explendae causa; *committitur* etiamsi persona rapta consentiat, sed vis inferatur iis quorum potestati subest, scilicet parentibus, tutoribus, marito, non autem si sint fratres et illa sit sui juris; *continet* duplicem malitiam, scilicet luxuriae ex parte intentionis et injustitiae ex parte actionis, quatenus violenter agit contra vel raptam vel ejus superiores; *importat* ex Trid. s. 26, c. 6, obligationem ducendi vel dotandi raptam, nisi sit meretrix vel malae famae; *est circumstantia* necessario in confessione aperienda. Ex quibus infertur quod si quae sponte discedat cum amasio, insciis quibus subest, non erit propria raptus sed *fuga*, et tunc est simplex fornicatio, absque alia specie nisi contra obedientiam superioribus (S. A., IV, 444).

VI. Fornicatio adultera seu adulterium, quasi accessio ad alterius torum, *est fornicatio* inter personas quarum alterutra vel utraque est matrimonio ligata; *habet* duplicem malitiam mortalem in confessione necessario aperiendam, contra scilicet castitatem et contra justitiam; *est gravius* quando foemina adultera est conjugata ob incommoda graviora, uti est impedimentum generationis, incertitudo prolis et alia id genus; et adhuc gravius manet si uterque sit matrimonio ligatus, quia duplex adest injuria in utriusque conjugem, in confessione aperienda; *estat* etiamsi conjux adulterantis in adulterium consentiat, quia ex lege matrimonii conjux non habet jus disponendi sed tantum utendi altero, et proinde non potest cedere jus matrimonio inhaerens (Ex *prop.* 50 *damn.* ab In. XI. *Viva in h. p.*).

VII. Ad recte intelligendas obligationes poenitentis ratione adulterii, distinguendum est: vel agitur de adultera, vel de adultero, vel de conjuge adulterantis. I. De adultera. *Primo*, ipsa non tenetur se prodere nec ad evitandum damnum mariti et filiorum legitimorum, saltem si damnum famae multum praeponderet damno eorum; et e contra tenetur quando ipsa sit perditae famae aut multum vilis aut ita

abjecta, ut non esset longe magis, aestimabilis fama sua quam damnum aliis inferendum, et quando alioquin timeatur publicum damnum, nempe, si spurius sit perditis moribus et succedere debeat regno, vel denique quando, se manifestando filio spurio, verisimiliter speraret filium ei crediturum, bonis cessurum, nec ulterius timeretur magna infamia aut vexatio matris (S. A., IV, 653; Lug., *just.*, d. 13, n. 45, sigs.; Croix, III, 2, 333). *Secundo*, imo interrogata a marito vel ab aliis, potest vel aequivoce respondere se non fregisse matrimonium, quod vere persistit, vel aperte respondere *innocens sum ab hoc crimine*, si adulterium sacramentaliter confessa sit, quia per confessionem ablatum est, vel etiam, si est omnino occultum cum juramento asserere: *non commisi*, subintelligendo se non ita commisisse, ut teneatur manifestare, sicut reus judici non legitime interroganti, quia injuste ipsa de hoc interrogatur (S. A., IV, 162; Scav., II, 744, *Cas.*). *Tertio*, in praxi vero rarissime tenetur se manifestare marito aut filio, cum perraro fieri possit quod ex tali manifestatione non eventura sint ingentia mala pro omnibus, et aliunde raro item contingat quod filius credat, cum ex communissima et probabiliori sententia non teneatur credere matri etiam juramento id obfirmanti, quia est in possessione legitimitatis, a qua excidere non tenetur nisi convictus; et proinde confessarius matri suum crimen manifestare nolenti non potest absolutionem denegare, sed ei competens imponenda est poenitentia, ut Inoc. III, statuit (C. Officii. 9 de poen. et remiss.; S. A., 653-54). *Quarto*, si voluntarie in adulterium consensit, tenetur in solidum cum adultero ad omnia damna familiae reparanda; et proinde si paraphernalia habeat, ex istis restituere debet marito et filiis legitimis, vel per donationes manuales, vel per contractum, vel per testamentum, et si non habeat attentius familiam administrare, parce pro se ipsa expendendo, diligentius laborando et alia similia occulte efficiendo. *Quinto*, si e contra omnino coacta fuit, tenetur quidem ad curandam prolem eam lactando, sine ulla tamen expensa, quia mater est, sed non tenetur ad ullam restitutionem nisi ex quadam aequitate, cum tota obligatio sit ex parte adulteri cogentis;

si vero nec omnino consentiens nec omnino invita fuit, sed precibus et suasionibus seducta, ut saepe evenit, licet non convenient theologo an teneatur ad medietatem damnorum necne, probabiliter tamen dicendum cum Scavini, II, 744, *qu.* 2 et aliis, aequitati consonum esse seductorem ad majorem partem teneri, quia duplici titulo, ut movens ad damnum et damni executor, nocuit; vel etiam ad totum, si, ad consensum obtinendum, promiserit se suscepturum omnia onera ex adulterio secutura, notando tamen quod si postea renuat, adhuc tenetur mulier, quia ob privatum pactum nefas est non compensare damna illata, quae ipsa pariter sua actione intulit. *Sexto*, si prolem ad brephotrophium seu hospitium infantium derelictorum miserit, vide quid agendum (C. VI, § 14, *Concl.* 7, pág. 451). II. De adultero. *Primo*, tenetur restituere in solidum necne cum adultera juxta casus supra enumeratos. *Secundo*, ad nihil tenetur quando dubitatur an proles sit sua vel mariti, tum quia possidet matrimonium, nisi constet oppositum, tum quia de damno non constat; quod dubium maxime evenire potest sive quia tempus partus correspondet etiam tempori adulterii, sive quia maritus antea filios ex uxore non genuerit (1). *Tertio*, si dubium sit inter duos adulteros cujusnam sit proles, videtur omnino in praxi tenendum, dissentiente tamen D. Alphonso, cum communiori sententia et probabiliori, quod uterque adulter teneatur ad restituendum pro rata, etiamsi ex communi consilio id non patrauerint, vel posterior nesciat adulterium jam ab altero patratum; quia ex una parte damnum est certum et constat illud ab alterutro adultero illatum esse et ex alia parte ambo adulteri sunt aequaliter causa efficax et injusta incertitudinis, ne ab aliquo ipsorum determinato exigatur compensatio, dum in damnum singuli consenserunt volendo copulam per se causativam ejusmodi damnorum; nec aliunde pro illa incertitudine innocens pati

(1) S. A., IV, 657 cum comm. In foro externo qui, vel post septimum mens. ab inito, vel ante decimum mens. a soluto matrim. nascitur, legitimus habetur, quia foetum editur plerumque nono mense a conceptione, interdum ineunte septimo, nonnunquam decimo completo. Lege ergo civili est illegitim. si nascantur ante dies 180 ab inito matrim. vel post 300 dies ab eo soluto. C. Civ. It., art. 160 y sigs.

debet (Croix, III, 2, 337; Gouss., I, 1018; Gur., I, 733 et Ball. ad h. l.; Lemk., I, 999 con Lug., Bonac., Ronc.). *Quarto*, etiamsi non induxerit mulierem, ut supponeret viro suo prolem uti filium suum, sed negative se habuerit, tenetur in praxi ad restitutionem, quia filium procreando, independenter a facto suppositionis, est causa efficax, proxima et directe moralis omnium damnorum, cum in moralem necessitatem supponendi prolem conjecerit adulteram, cui moraliter impossibile est aliter se gerere (S. A., IV, 659). III. De conjuge adulterantis. *Primo*, potest eam expellere etiamsi adulterium sit occultum, quia absolute hoc concessum est a Christo; modo ex separatione non interveniat scandalum quod non possit aliter reparari; et proinde a fortiori potest ei alimenta denegare. *Secundo*, licet per se loquendo, aliquando vir teneatur dimittere uxorem adulteram vel ratione correctionis vel ratione scandali si adulterium sit publicum, quasi ipse alias esset complex, in praxi tamen rarissime ad hoc tenetur, tum quia aliter eam corripere potest, tum quia pluribus indiciis et mediis ita notam facere potest aliis suam displicentiam et adulterii detestationem, ut scandalum esset pharisaicum; uxor vero rarius tenetur a viro adultero discedere, quia rarissime hoc posset sine gravi incommodo. *Tertio*, conjux innocens in praxi numquam tenetur recipere alterum licet ex adulterio emendatum, tum quia Christus absolute liberavit ab obligatione cohabitandi, tum quia charitas ad tantum onus non videtur obligare (*Suppl.* q. 62. a. 2; S. A., 960-68).

VIII. Fornicatio incestuosa, vulgo incestus, est fornicatio inter personas sibi invicem cognatas; est speciale peccatum quod offendit honorificentiam naturaliter debitam parentibus et per consequens aliis consanguineis, propter quamdam turpitudinem quae reperitur in actis venereis (2, 2, q. 154, a. 9); committitur non solum per copulam sed per quoslibet actus impudicos scienter habitos inter conjunctos, et qui, cum eo ipso induant naturam incestus, sunt in confessione explicandi; distinguitur in incestum, vel inter consanguineos ex communione sanguinis, vel inter affines ex copula carnali, vel inter cognatos spirituales propter spiritua-

lem cognationem, vel inter cognatos legales propter adoptionem; intelligitur completus, idest per commixtionem carnalem in vase naturali, quando agitur de poenis incurrendis.

IX. Relate ad gravitatem, primo, certum est incestum cujuscumque speciei et gradus prohibiti esse peccatum ex genere suo mortale; secundo, eo tamen esse graviorem quo gradus est vicinior stipiti; tertio, cum consanguineis esse graviorem quam cum affinibus in eodem gradu, et rursus incestum cum affinibus esse item graviorem quam cum cognatis spiritualibus vel legalibus; quarto, inter cognatos legales et spirituales esse diversae speciei quam cum consanguineis et affinibus, cum uterque attingat objectum specie diversum (S. A., IV, 449-50); quinto, in primo gradu lineae rectae specie differre a quolibet alio incestu cujuscumque lineae, cum exhibeat specialem deformitatem ex se (2, 2, q. 154, a. 9; S. A., 470; D'Ann., II, 74); sexto, adeo probabilius est (non tamen omnino certum) omnes alios incestus cujuscumque lineae inter consanguineos esse ejusdem speciei, quia commixtio ex sola prohibitione Ecclesiae vetatur, ut ad praxim deduci tuto possit (2, 2, b. 154, a. 9. ad 3; S. A., 470; Suar., de Poen., d. 22, sect. 3, n. 12; Gouss., I, 656; Scav., I, 775) septimo, item probabilius est incestum cum consanguineis non differre specificè ab incestu inter affines, quia ex eodem motivo formali prohibetur copula in utroque casu, ob scilicet reverentiam sanguini debitam S. Th., l. c.; Gouss. l. c.; Gur., II, 486; Del Vecch., I, 469; Constant., l. c., 284); octavo, incestum cum affinibus commune est esse ejusdem speciei quoad diversos gradus, excepto primo gradu (inter socerum et nurum, interque privignum et novercam), cujus facile deprehenditur specialis deformitas. Ex quibus colligitur circumstantiam qualitatis incestus non esse de necessitate explicandam in confessione tamquam mutantem speciem nisi in tribus casibus: vel cum agitur de incestu in primo gradu lineae rectae consanguinitatis, vel de incestu in primo item gradu affinitatis, vel de incestu cum cognatis spiritualibus et legalibus tanquam specificè minori. De incestu vero quatenus impedit usum matrimonii dictum est C. VI, § 13, Princ. VII, pag. 416.

X. Fornicatio sacrilega, vulgo sacrilegium, est violatio rei, loci vel personae sacrae per actum venereum; continet duplicem malitiam in confessione explicandam, contra scilicet castitatem et contra religionem; committitur etiam per actum luxuriae imperfectae seu non consummatae. Rem sacram accipimus quamlibet rem ad divinum cultum deputatam, vel quamlibet actionem quae specialiter exhibet seu repraesentat Christum, puta, Eucharistiae gestationem vel distributionem. Locus sacer est locus benedictus et deputatus tum ad divina officia celebranda; tum ad mortuos sepeliendos; locus, nempe, a tecto interiori usque ad pavimentum, exclusis cellis, sacrario, dormitorio, claustro, tecto a parte superiori, atrio, caveis extractis sub pavimento, nisi sit locus sepulturae vel divinorum officiorum, turri campanarum, choro monialium ab ecclesia separato, oratoriis privatis (1). Persona sacra est persona sacris initiata vel voto ligata.

XI. Practice tenendum est, primo, duo admittere sacrilegia personam sacram cum alia sacra peccantem, quia dupliciter religionem offendit, peccato proprio et peccato cooperationis; secundo, sacrilegium admittere qui habens votum castitatis, alterum suo consilio ad peccatum carnale induceret ex positivo affectu ad libidinem (secus si ex alio pravo fine); tertio, sacrilegium item admittere religiosum qui morose delectaretur de peccato carnali alterius, vel qui alterum suis manibus pollueret, etiam sine sua delectatione; quarto, religiosum professum et in sacris etiam constitutum, si castitatem laedat, unum tantum peccatum admittere, quia peccat contra idem praeceptum et ex eodem motivo religionis; quinto, cogitationes turpes, sive in ecclesia, sive extra habitas, esse sacrilegia si contineant desiderium deliberatum peccandi in ipsa ecclesia, etsi occulte, quia delinquantur ad ecclesiae violationem, sed non esse sacrilegia,

(1) Gouss., I, 657. Oratoria sunt adhuc privata quamvis ibi celebretur missa ex concess. Papae vel episc., sed ut sint publica debent esse erecta auctoritate episc., vel in loco benedicto et designato ad usus sacros, habente ingressum per viam public. licet alicui domui privatae adnexo, vel in public. demibus, puta, seminariis, hospitalibus, conservatoriis.

etsi in ecclesia habitas, si desiderium sit peccandi extra ecclesiam, propter contrariam rationem; sexto, actus externos graviter turpes, prout aspectus, tactus, verba, admissos in loco sacro esse sacrilegia; septimo, sacrilegium adhuc committi per copulam maritalem licet occultam, quia semper sanctitati ecclesiae repugnat, nisi (excipe) fiat ex morali necessitate ob periculum incontinentiae, vel quando diu in ecclesia permanere deberent, nempe per decem, juxta aliquos, vel viginti dies, juxta alios, vel per mensem, juxta quosdam (S. A., 454-63; Scav., I, 776-77; Gouss., I, 656-57).

146. Conclusiones. — 1.^a Practice teneri potest copulam habitam cum desponsata per verba de futuro esse simplicem fornicationem, et proinde hanc circumstantiam aggravantem non esse de necessitate aperiendam (S. A., IV, 447, VI, 847; Berard., *Prax.*, 316); meretrices, quamvis rei intrinsece malae indulgeant, tolerari posse ad majora vitanda mala, nempe nimias tentationes honestarum mulierum, ut tenent S. August., S. Thom. Salmantic., sed tantum in magnis urbibus et remotiori quo fieri potest loco et proinde absolvendos esse magistratus qui bona fide asserunt se ista mala tollere non posse, quia, ut recte ait Bouvier, in dubiis confessarii non est definire quid agere debeant illi, quibus difficiliora sunt commissa negotia (v. S. A., IV, 434; Scav., I, 768, *not.*); item in praxi voluntatem se dandi aut redeundi ad concubinatum, vel meretricium constituere peccatum in confessione aperiendum, cum includat intentionem fornicandi innumeris aliis vicibus (Berard., *Prax.* 266, q. 2); item explicandam circumstantiam fornicationis cum foemina dormiente, ebria vel demente, quia reducitur, ut supra, ad stuprum invitae; item coitum cum foemina mortua esse pollutionem cum fornicatione affectiva (S. A., IV, 466).

2.^a De muliere violenter oppressa haec teneto; primo, ei non licet expellere semen jam immissum, quia cum statim ac recipitur sit in pacifica possessione uteri, injuriam inferret naturae humanae, ejus propagationem impediendo; secundo, potest et tenetur, ait S. A., 954, d. 1, cum communi se vertere et coitum interrumpere, quamvis semen sit extra vas effundendum, quia tunc non expellitur immissum, sed

impeditur immittendum tanquam violentus honoris aggressor; *tertio*, licet non sit damnata sententia, quae tenet mulierem vi oppressam non teneri ad clamandum, cum aliunde modo passivo se habere possit, in praxi tamen omnino tenendum et suadendum quod teneatur, quia difficulter poterit se eximere a periculo consensus, dum clamando testes potius vocat suae pudicitiae (Scav., II, 771, v. supra, § 26, *Concl.* 6.^a, pág. 546).

3.^a In caso stupri, ad recte judicandum, consideret confessarius an vere invita mulier oppressa fuerit, quia saepe in praxi vera violentia non est, sed tantum quaedam incitatio quam foeminae pro vera violentia obtundunt vel ob malitiam vel ob ignorantiam; an puella dotem respuendo, matrimonium rationabiliter exigat, quia interdum gravissimae obstare possunt difficultates (*Pr. IV*); an verba, quae promissionem matrimonii prae se ferre videntur, attentis omnibus circumstantiis personae, modi vel usus illorum verborum in quadam regione, vere promissiones sint, quia saepius vel ludrice vel aequivoce dicuntur, saltem ratione personae levis vel dissolutae; an stuprator excessivum incommodum praetendat, quia licet non possit obligari absolute ad dotem vel matrimonium cum quocumque incommodo, tenetur tamen cum incommodo longe majore illo, quo mulier afficitur, quae alias cogeretur vel inupta manere vel male nubere.

PUNTO 2.^o — *De la luxuria consumada innatural*

147. Principios. — I. *Primo*, luxuria consummata innaturalis seu pollutio formaliter sumpta, est peccatum quo quis, extra copulam, sibi completam veneream delectationem procurat, vel in eam consentit. Ex quo patet ad naturam pollutionis, quatenus peccatum, est seminis vel humoris effusio extra copulam; alterum, quasi formale, est completa venerea delectatio per voluntatem capta in hac effusione (1). *Secundo*, licet communiter hodie admittatur

(1) Eschbach, *l. c.*, d. IV, c. 4, ubi haec. ref. D. Th. sententia (Opusc. de fluxu libidinis): *Et ideo sciendum est quod illius seminis effusio (de emissionem insensibiliter contingente) non est pollutio, quia ut dicunt*

in foeminis nullum proprie dictum adesse semen, sed tantum humorem quemdam vaginalem, peccato tamen mollietati pollui possunt, dum per tactus aut turpes imaginationes humorem suum cum completa venerea delectatione in cavitate uteri aut etiam foras effundunt, ita ut pollutae cognoscantur ex eo quod magnum expertae sint sensum voluptatis, quae completa, satiatae sunt et quiescunt (S. A., IV, 465). *Tertio*, cum in maribus completae venereae delectationis causa sit decisio et effusio seminis, patet veram pollutionem in pueris impuberibus dari non posse, licet mollietatem incompletam admittere et ipsi valeant vel a teneris annis, ita ut quoad malitiam nihil differat a pollutione adulterorum (S. A., IV, 476); dum e contra, cum foeminae pollutio consistat tantum in effusione humoris vaginalis, sequitur foeminas seminare et proinde pollui, si ad hoc provocatae fuerint, etiam parum ante pubertatem, ut ipsae mulieres ex parte testantur, et faciliori via repetitis vicibus ita pollutionem sibi procurare posse quam mares, ut saepe, aiunt, iteretur in eodem fere momento (Eschbach, *l. c.* etiam ex Caiet., in 2, 2, q. 152, a. 1).

II. Certum est, *primo*, pollutionem voluntariam esse intrinsece malam, quia adversatur fini principaliori naturae, et proinde numquam licitum esse eam intendere vel directe procurare, ne ad vitam quidem servandam; *secundo*, quaecumque pollutionem, etiam spadonum, puerorum et foeminarum, extra concubitum, secundum se esse theologice ejusdem speciei, quocumque modo fiat, sive tactibus propriis vel alienis, sive imaginatione, quia semper adest eadem ratio; et dico *secundum se*, quia interdum ei adjungi potest, propter circumstantias, alias speciei prout si polluat sacerdos, vel cum desiderio talis personae (S. A., 467, 476); *tertio*, indirecte voluntariam esse peccatum necne, juxta dicenda in *Princ.* sequenti; *quarto*, non dari obligationem pollutionem sponte sua eventem cohibendi, modo absit consensus in delectationem vel proximum ejus peri-

medici, sine libidinosa delectatione et carnis motione, nullus potest pollui vigilando. Véase Sanch., *Matr.* IX, d. 17, n. 16; Salmantic., *tr.* 26, c. 7, n. 18; Bonac., *Matr.*, q. 4, punct. 10.